

XXVI. Ad confirmationem respondetur quod in Deo vita dicitur se movere remotis imperfectionibus, et sine motu aliquo vel egressione aliqua a suo principio quod sit actus primus. Quando autem infertur: Ergo virtualiter se movet, distinguo; virtualiter virtualitate distinguente principium movendi et terminum, seu actum secundum ad quem se movet, nego: hoc enim nec per rationem in Deo possumus distinguere, nisi ipsum principium concipiamus tamquam non purum actum, si præscindimus illud ab ultimo actu: virtualitate non distinguente principium movendi ab actu secundo, sed formaliter includente illum, concedo. Et sic dicitur se movere in hoc sensu, quia per se ipsum semper est in actu secundo, ad quem pervenit vivens creatum se movendo de actu primo ad secundum.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVII. Primo, arguitur ex quibusdam auctoritatibus D. Thomæ, affirmat enim quod in Deo intelligere, et esse seu essentia distinguuntur ratione, sicut et ipsum velle, ergo sentit non esse formaliter idem, sed solum identice, alias nec ratione distinguerentur cum fundamento in re. Antecedens constat ex primo ad Annibaldum, distinct. xxxv, quæst. I, art. II ad III, ubi inquit: « Quod, sicut intelligere est idem re, cum essentia, sed differens ratione, ita et velle. » Et in hac prima parte quæst. xxvi, art. II, inquit: « Quod in Deo esse et intelligere est idem secundum rem, sed non secundum intelligentiæ rationem, » ergo solum identice et non formaliter sunt idem intelligere et essentia, et consequenter non est formale constitutivum essentiæ. Et ex processu hujus quæ-

tionis sumitur etiam argumentum, quia D. Thomas dixit in ejus principio: « Se hucusque egisse de substantia Dei, nunc autem incipere de operatione, » ergo sentit quod intelligere non constituit substantiam, sed post constitutam, importat operationem. Similiter in articulo primo probavit Deum esse intelligentem, quia est immaterialis, ergo intelligere supponit aliquid quod sit radix ad quam consequitur, et sic ipsum intelligere non est prima radix, et primum constitutivum naturæ. Confirmatur, quia S. Thomas sæpe docet, quod essentia Dei est ipsum ejus esse, ut supra, quæstione III, art. IV et quæst. VII, art. I, et similiter affirmat quod nomen maxime proprium Dei est esse seu qui est, ut constat ex prima parte, quæst. XIII, art. XI, et primo contra gentes, capite XXIII, ubi expresse dicit: « Quod ipsum divinum esse est sua essentia vel quidditas, » proprium autem nomen est quod significat proprium conceptum rei: ergo formalis, et proprius Dei conceptus est ipsum esse.

XXVIII. Respondetur ad prima loca, quod in primis Div. Thomas non exprimit ibi formalem rationem naturæ ut natura est, sed transcendentiam essentiæ seu ipsius esse increati, esse autem increatum ut transcendentaliter se habet ad naturam et operationes et attributa, non est inconveniens, quod nostro modo intelligendi distinguatur ab intelligere, et a velle, saltem quia ille conceptus essentiæ transcendentaliter se habet non autem conceptus volendi, aut intelligendi. Loquendo autem de conceptu naturæ non ut transcendentaliter se habet, sed secundum gradum determinatum constitutivum sub specificatione operandi; ut distinguatur ab attributis, et Personis, etc. sic nunquam dixit Div. Thomas solum identice

esse idem cum intelligere, et ratione ratiocinata distingui. Secundo, dici potest, quod Div. Thomas in duobus primis locis loquitur de distinctione rationis ratiocinantis, quæ se tenet solum ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ, et intellectæ. Et fundatur hoc in Div. Thoma infra, quæstione. XLII, articul. IV ad tertium, ubi inquit: « Quid respectu intelligere, et velle non salvatur ratio potentiæ nisi secundum modum intelligendi, et significandi tantum prout diversimode significatur in Deo intellectum et intelligere, cum tamen intelligere Dei sit ejus essentia non habens principium. » Ita Div. Thomas; unde colligitur quod actus intelligendi, et volendi non habent distinctionem ab intellectu, et voluntate, nisi ex modo significandi, quæ est distinctio rationis ratiocinantis; sed quia actus volendi importat actum consecutum ad ipsum intelligere non dicit primam rationem constitutivam naturæ, sicut ipsum intelligere quod non consequitur ad aliquid prius.

XXIX. Nec urget id quod ex primo ad Annibaldum citatur, quod sicut differt intelligere ab essentia, ita et velle; comparat enim intelligere, et velle quantum ad genus distinctionis, scilicet quod non distinguatur realiter, sed ratione non quantum ad modum distinctionis, sed intelligere distinguitur ratione ratiocinante, et secundum modum significandi tantum, quia constituit ipsam naturam in actu puro et ultimo, velle autem seu voluntas ratione ratiocinata, quia consequitur ad ipsum intelligere, et consequenter ad naturam jam constitutam, eamque supponit.

XXX. Ad id quod adducitur ex initio hujus quæstionis respondetur, quod ut advertimus in explicatione textus hujus quæstionis non dixit sanctus doctor se hucusque egisse de

natura divina, sed de his quæ pertinent ad substantiam Dei, nec dicit se modo considerare de operationibus divinis, sed de his quæ pertinent ad operationem Dei. Egit ergo hucusque de his quæ pertinent ad substantiam, id est, ad entitatem increatam Dei, secundum conceptum entitativum seu entis increati, qui est communis, et quasi transcendens in Deo ad naturam, et attributa, et Personas, et operationes. Ex hoc autem loco incipit agere de his, quæ pertinent ad operationem Dei, pertinet autem ad operationem etiam id quod se habet per modum naturæ, quia ex operatione venamur propriam rationem naturæ et in creatis natura est radix et principium operationis, in Deo autem est ipse actus ultimus, qui apud nos est operatio, eo quod natura constituitur per modum actus puri, et consequenter ultimi.

XXXI. Ad confirmationem respondetur essentiam Dei esse suum esse et naturam Dei esse suum esse, sed hoc etiam habent Personæ et attributa, et operationes Dei, quia omnia sunt suum esse et actus purus: Unde ex hoc non discernitur quod esse sit formale constitutivum naturæ, sed potius quod transcendenter se habeat. Dicitur autem quod ly qui est, maxime est proprium nomen Dei, secundum rationem increatæ entitatis, et secundum id quod divinum est et a creaturis distinctum sic in communi, et in confuso seu transcendentaliter: sumendo rationem divini entis, quod dicit essendi pelagus immensum includendo formalitatem naturæ, et attributorum, et omnium quæ in Deo sunt, non autem explicat formale, ac determinatum constitutivum naturæ sub conceptu naturæ; et distincte concipitur ab attributis, et operationibus, ut supra jam explicavimus. Et per hoc solvuntur om-

nes rationes quæ afferri possunt ad probandum naturam divinam constitui per esse a se, vel per substantiam infinitam, probant enim de constitutione essentiæ Dei sub ratione communi entis increati, non sub determinato conceptu, et gradu naturæ.

XXXII. Secundo, arguitur quia intellectio de suo essentiali, et formalissimo conceptu est operatio, et est actus vitalis, ergo repugnat quod constituat naturam operativam et viventem, sed quod supponat constitutam. Antecedens certissimum videtur, quia intellectio formaliter reddit actu intelligentem, intelligens autem ut intelligens est operans, quia non est in otio, et quiescens, sed vigilans et agens in quantum intelligens est, et similiter vivit actu intelligendo: ergo intellectio et est actus vitalis, et operatio ex proprio conceptu. Consequentia vero constat, quia operatio intelligi non potest nisi ut aliquid ab alio, non enim minus essentialis est ratio ab operationi, quam ratio ad relationi, ergo supponit aliquid prius a quo sit. Similiter actus vitalis supponit ipsum vivens quod tali actu secundo vivat, est enim de ratione viventis, quod moveat se, ergo oportet, quod ante ipsum actum qui est sicut motus viventis, detur aliquid constituens ipsum vivens ut sit movens se, solus enim actus non apparet quomodo moveat se, nisi aliquid saltem virtualiter distinctum præsupponat prius. Confirmatur, quia Personæ ideo non constituuntur origine, sed relatione, ut docet S. Thomas infra, quæstione XL, articulo II, quia origo ut origo dicit egressionem seu processionem a Persona, et ita supponit eam, non constituit, sed etiam operatio ut operatio supponit operans ut ab illo sit, ergo non constituit illud. Denique, conceptus naturæ est conceptus prin-

cipii et radicis operandi, quia natura est principium primum motus et quietis, ergo nisi invertamus definitiones, non possumus conceptum naturæ transferre in Deum, nisi ibi constituamus rationem principii saltem virtualis respectu intellectiois ut actus ultimus est, debet enim sic actus esse principiatus.

XXXIII. Respondetur quod de ratione operationis quæ est accidens et superadjecta operanti est, quod egrediatur ab ipso operante, de ratione autem operationis subsistentis non est quod egrediatur, sed quod sit actus ultimus idem existens cum operante; et sic est idem, nec opponitur ei relative sicut Personæ, non potest concipi ut egrediens formaliter. Et ulterius si illa operatio sic subsistens sit prima et propria ipsius naturæ secundum gradum naturæ, quæ est actus purus etiam in ratione naturæ, constituere ipsam debet in proprio esse et formalitate talis naturæ. Quod dico ad distinctionem volitionis, quæ etiam est operatio subsistens et substantia ipsa Dei, nihilominus non constituit naturam, quia supponit aliam priorem operationem, velle enim supponit cognoscere, et appetitivum non se habet ut gradus, et formale constitutum in naturis, sed ut consecutum ad gradum cognoscitivum. Non ergo est de ratione operationis egressio ab operante tamquam ab aliquo distincto si sumatur operatio semotis omnibus imperfectionibus in ratione actus puri, sic enim impossibile est quod distinguatur ab operante. Solum ergo ratio operationis secundum conceptum egressionis est in Deo eminenter et virtualiter, ut explicatum est, quatenus in Deo eadem entitas eminenter facit totum quod in rebus creatis facit operatio egrediens et principium a quo egreditur. In ratione tamen actus secundi neque etiam virtualiter, et emi-

nenter distingui potest a suo principio tamquam ab actu primo, eo quod ut diximus ea quæ distinguuntur in Deo nostro modo concipiendi ita debent distingui, quod utrumque maneat actus purus in conceptu nostro, non manet autem actus purus illud extremum, quod concipitur ut distinctum ab actu ultimo, et sub ratione actus primi; quia actus purus omnem rationem actualitatis in sua linea includit, quia ad nihil suæ lineæ manet in potentia: ergo ab actu ultimo secerni non potest. Et eodem modo dicimus dari in Deo rationem viventis, et vitæ perfectissimæ, non quia se moveat de actu primo ad secundum etiam per distinctionem virtuales nostri conceptus, sed quia se ipso constituitur in actu ultimo sine motione ab alio, ut supra explicavimus, et sic habet vitam remota omni potentialitate, et omni motu egrediente de potentia ad actum, vel de actu primo ad secundum. Ad confirmationem respondetur quod origo non constituit Personam sub conceptu originis, quia non importat rationem incommunicabilitatis formaliter sicut relatio ipsa quæ ex suo formali conceptu oppositionem relativam facit et consequenter incommunicabilitatem et distinctionem. Unde ad constituendam incommunicabilitatem et rationem distinctionis non ita conducit formalis conceptus originis sicut relationis; Persona autem incommunicabilitatem importat. At vero intellectio non ita formaliter importat ex vi sui conceptus egressionem operationis ab alio, quando purificatur ab omni imperfectione, et redditur actus purus, sicut rationem ultimæ actualitatis in linea intelligibili, et hæc formaliter conducit ad constituendum gradum naturæ, quod est natura in actu puro et in summo gradu vitæ, ut dictum est.

XXXIV. Ad ultimam partem huius argumenti respondetur, quod illa definitio, et conceptus formalis naturæ non debet eodem modo intelligi in omnibus naturis, sed proportionali modo. In illis enim in quibus operatio accidentaliter est, natura autem non est actus purus, oportet quod operatio supponat naturam constitutam per modum radicis et principii, quod sit virtus et actus primus. In Deo autem cuius natura est actus purus, et operatio est subsistens, pertinet actualitas operationis ad constituendum gradum illius naturæ in ratione summi gradus vitæ in actu puro. Unde cum non dicat operationem quantum ad modum egressionis formaliter, neque dicit naturam per modum principii, nisi tantum eminenter, ut explicavimus; non autem distinguitur ab operatione etiam virtuali distinctione tamquam actus primus a secundo propter rationem dictam.

XXXV. Ultimo, arguitur ex p. Arubal, ubi supra disputatione xxviii: Deus est primum intelligibile tamquam objectum, cum sit primum ens; ergo non potest essentialiter consistere in ipsa intellectioe. Consequentia probatur, tum quia intellectio non potest esse primum intelligibile sicut nec volitio primum appetibile, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. 1, articulo 1 ad secundum; tum quia ista intellectio dato quod non præsupponat subjectum cui conveniat, quia subsistens est, debet tamen habere objectum circa quod versetur, et a quo specificetur, sed non aliud quam essentia divina, neque enim ab aliquo extra se specificatur, ergo differt ratione intellectio ab essentia sicut ab objecto, si quidem objectum, et intellectio diversas habent definitiones, et rationes, nam intellectio ut intellectio explicat rationem actus vitalis, non autem objectum ut objectum, et in-